

certa etiam istorum aetas est — poetae duo fere probabiles exstiterunt, alter *Vespa* nomine, alter *Reposianus*. Huius est epithalamium « *De concubitu Martis et Veneris* » quod ducentis triginta tribus versibus heroicis constat: pulchrum id ut temporibus illis, diceres, et amoenioribus sententiis distinctum atque poetico colore suffusum. Illius singulare ludricum superest carmen, quod ex re satis lepida lepide « *Iudicium coci et pistoris iudice Vulcano* » inscribitur.

VII. Cum his aetate coniuncti — per idem enim tempus fuere — hic quoque — ne ex instituta ratione temporum gradus pertubem — poetae nonnulli recensendi sunt, quamvis re tum maxime spiritu illorum dissimillimi sint, quorum nomina ab initio operis hactenus memoravi; Christianos dico poetas, qui cum ex novis divinisque Verbi doctrinis et umbraculis laetis prodiissent, conditores primi potius et quasi litterarum nostrarum parentes dicendi sunt, quam in Latinis poetis numerandi. Primus ex his nobis *G. Vettius Aquilinus Iuvenus* occurrit, Hispanus, qui Constantini Caesaris aetate floruit. Hic, nobili genere natus et clarus Christi presbyter, evangelicas historias ad verbum ex libris sacris transferens in quattuor libros hexametris versibus exaratos redegit. Caruit utique vi, granditate, copia, quam genus illud et tragica alicubi rerum magnitudo postulabat sed vitium hoc nativa quadam et perspicua et simplici dictione pensavit, quae istiusmodi generatim rebus convenientior est atque opportuna magis. A veteribus eum satis laudatum invenio.

*Christiani  
poetae, qui  
genus epicum  
coluerunt*

*Iuven. in fine  
poematis*

*Poema de  
Evangelicis  
historiis*

VIII. Paulo aetate posterior *Proba Falconia* exstitit nobilissima Adelphi Romani viri consularis matrona et ex suae aetatis Christianis poetriis eruditissima. Versibus hinc illinc ex Virgilio promptis, poema, quod exstat, composuit « *De fabrica mundi et Evangelium* » inscriptum, cuius rem, ut nomine liquet, partim ex Hebraeorum libris, partim ex fontibus Christianorum hausit. Ex memoria autem cui interfuit bellum in altero poemate celebravit, quod Constans

*De fabrica  
mundi et  
Evangelium*

cum Magnentio de imperio potiundo gesserat. Hoc vero poema iniuria temporum evanuit.

IX. Post Probam ultima litterarum Latinarum aetate fere exeunte, de qua loquimur, provenit *Caelius Sedulius*; una cum eo *Flavius Merobaudes*, *Claudius Marius Victor*, *Paulini* duo, alter *Petrocoriensis*, alter *Burdigalensis*, atque *Sollius Apollinaris Sidonius*. Istorum primus, *Britannus* vel *Scotus* stirpe, episcopus cum in *Achaia* esset, celebratissimum « *Carmen Paschale* » confecit, quod antehac « *Mirabilium divinorum libri* » inscribi solebat. Egregius in carmine hoc in aliisque fundendis *Maronis* imitator exstitit, cuius verborum suavitatem atque contexendi artem ad rem sacram tam pie tamque scite accommodavit, ut si quis umquam *Christianus* poeta alius, ipse quam proxime accesserit. Ad carmen hoc quinque libris constans et probabili exaratum stilo elegia adicitur et epigramma et hymnus, ut dici solet, abecedarius, iambico versu conscriptus, quem quotannis die natali *Servatoris Christianorum* coetus recitant.

X. Secundus *Flavius Merobaudes*, *Hispanus*, clarissimus dux fuit, cui ob virtutem, quam in proeliis ostendit, statua aenea in foro *Ulpio* cum inscriptione posita est, in qua, praeter alia haec verba legebantur « *ingenium ita fortitudine ut doctrinae natum, stilo et gladio pariter exercuit* ». In *Christum* breve et exile carmen non amplius triginta versibus longis constans conscripsit, atque orationes laudatorias nonnullas, quae non minus laudibus quam multis turgent verbis. *Cl. Marius Victor*, *Massiliensis*, in oratoria et poetica simul non sine aliqua laude versatus est; eius « *Commentarium in Genesin* » tribus libris affabre exaratum exstat et « *Carmen de Christi vita* » a *nativitate* ad *resurrectionem* deductum, denique « *Epistula* » in qua multo sale corruptos suae aetatis homines perstringit. *Christianis* poetis omnibus, qui cum eo fuerunt, *C. Pollius Sidonius Apollinaris* longe laude praestitit, qui cum mira ingenii mentisque celeritate

*Carmen  
Paschale*

*Commenta-  
rium in  
Genesin*

*Carmen de  
Christi vita*



tum non ingrata versuum condendorum facultate se nobis commendat. Lugduni in Gallia Narbonensi natus ad quadragessimum tricesimum p. Chr. n. annum, Aviti imperatoris gener fuit, praefectus Urbi, postea etiam presbyter, denique Averniae episcopus. Quo munere dum fungitur, exercitibus praefuit, qui omnibus viribus et opibus Gothis impetum in fines Romanorum facientibus repugnabant. Priusquam Christi doctrinam professus est quattuor et viginta carmina fudit, heroico versu confecta. Post haud breve silentii spatium Christianus factus melioribus se Musis reddidit. Eius carmina generis utriusque XXIV libris continentur, quibus accedunt novem epistularum. Genere dicendi non quidem inerudito utitur, sed duriusculo; oratio autem, quae corrupta multis est vitiis, satis superque domestica auctoris barbarie inquinatur. Liberius saepe atque ex arbitrio, quasi nulla consuetudinis regula teneatur, verba novat audacter et exudit, alia ad alia significanda transfert, alia a vulgari et cotidiano Gallorum sermone mutuatur. Nihilominus cum municipibus suis et Romanis aequalibus et propter carmina et propter epistulas quam maxime placuisset, vivus ab Anthemio Augusto apollinari laurea et statua donatus est in Traiano foro sita.

*Carmina  
lyrica Sidonii*

XI. Cum eo Paulini duo fuerunt, qui inter se civitate distinguuntur: alter Petrocorii in Gallia Aquitanica natus est, alter Pellae, quod oppidum est prope Burdigalam item in Aquitanica; hac de causa ille Petrocoriensis, Pellaeus hic vel Burdigalensis appellatur. *Paulinus Petrocoriensis*, postquam Christo est initiatus « *Divi Martini vitam* » auctorem Sulpicium Severum secutus sex carminum libris poetice enarravit. *Paulinus* alter *Burdigalensis* de vita sua singulare poematum confecit, quod « *Eucharisticon* » Graece inscripsit; videlicet cum in poemate auctae vitae res memoravisset suas, gratias Deo agere voluit, qui immunem servavisset.

*Divi Martini  
vita*

*Eucharisticon*

XII. Restat hactenus, ut aliquid de *Claudio Claudiano* dicamus, quem in postremum hunc locum hoc consilio

remissimus, ut eius nomine epicorum poetarum pertractatio finiret. Neque hoc quidem tantum arbitrato statui. Etenim si tempora inquiero, quae a Statio huc usque post Claudianum fuere, nullum sane Latinum poetam invenio, qui hoc in genere aut tardiores aut uberiores fructus profuderit, quin immo, postquam e vita Claudianus migravit, cuius in carminibus eadem quasi veterum poetarum mens spirare et aestuare visa est, afflatus et spiritus, tenebris saeculorum barbarorum obortis, velut ventus sensim sine sensu factus remissior, homines doloribus atque curis extenuatos defecit atque evanuit. Claudianus Alexandriae, in clarissima Aegypti urbe, ad trecentimum quinquagesimum p. Chr. n. annum ortus est, ibique vitam ad maturitatem transegit, litterarum, ut videtur, studiis unice intentus; cum ibi Graece prima carmina fudisset, Romam anno trecentesimo nonagesimo quinto se contulit. Multa de carminibus eius praeclare fama ferente, Theodosii et filiorum, Arcadii Honoriique, aetate poetarum laude floruit. Qua erat incredibili et singulari ingenii facilitate, decem fere annos, quot ad mortem usque Romae versatus est, non minus unum et viginti opera composuit Latine exarata. In his — nam nomina singula omitto ne longa enumeratione lector defatigetur — sex «*Panegyrici*» in consules recensendi sunt, quorum unus in Probinum et Olybrium fratres est, qui, cum Claudius Romam venit, consulari dignitate praediti erant; secundus ad Mallium Theodorum consulem undequadragesimo p. Chr. n. anno; tres, qui reliqui sunt, ad Stilichonem, qui consulatum decies gessit. In his laudationibus res memoria dignae celebrantur, quas suo quisque anno consul laudabiliter egerunt. Nimius in laudando est, sed non per assentationem laudat, neque ut sibi favorem conciliet eorum, qui in civitate principes sunt; ingenio suo potius indulget eam ex rebus gestis materiem quotidie expetenti, quam ad carminum epicorum rationem amplificando atque exaggerando idoneam faciat.

*Prosp. Chr.*  
*anni 395.*

*Panegyrici*  
*in consules*



XIII. Contra laudationes has carmina quaedam maledica stant, quae in quattuor libros digessit. Priores libros duo alterum « *in Rufinum* » alterum « *in Eutropium* » nequam hominem, condidit, utrumque Arcadii administrum, qui post Theodosianam divisionem in altera imperii parte regnavit; uterque, quamvis superbia et lascivia infamis esset, gratia et auctoritate summa in Constantinopolis curia prae ceteris eunuchis et apud imperatorem Arcadium gratia valuit. Eos asperrimis verborum aculeis adgressus est; mirum id sane et memorandum, cum principibus blandiri commodius posset, quam ex satyricis carminibus aliquod sibi vitae periculum facere. Ab his re et genere valde carmina differunt, quorum alia « *Fescennina* » alia « *In nuptias Honorii Augusti et Mariae* » inscribuntur; haec lyricum ad genus natura sua proprius accedunt. Ut ex ipsorum inscriptione colligitur, in nuptialibus Honorii imperatoris cum Maria celebrandis composita sunt: haec, ut auctor ipse ore suo sponsis laeta et fausta omnia praesens diceret; illa, ut ex consuetudine in nuptiis celebrandis animorum delectandorum causa a ludis et saltatricibus magnifico in scaenarum apparatu cum cantu et choreis agerentur.

*Carmina  
maledica*

*Fescennina et  
carmina in  
nuptias  
Honorii*

XIV. Fortissimum virum et dignissimum quasi heroem, quem suis celebraret carminibus, Stilichonem invenit, ex cuius rebus gestis, praeter consulatus elogium, quod supra memoravi, praeter duo libros « *De laudibus Stilichonis* », poemata duo heroica confecit, alterum « *De bello Gothico* » alterum « *De bello Gildonico* ». Haec sane ex carminibus, quae in vivis laudandis versantur, praestantissima Claudiani habentur. Ceterum Stilicho Vandalus et barbarus fuit, sed fortissimus vir et ex aequalibus dux praestantissimus qui, cum bella multa feliciter gessisset, una pugna ad Pollentiam urbem commissa Gothorum cladem edidit memoria aeterna dignissimam. Bellum hoc in altero poematum Claudianus, ducis famae eiusque rerum gestarum admiratione attonitus,

*Poemata  
heroica*

egregie celebravit. Heroem in armis versantem conspicatus, incredibilem in fortitudinis admirationem erumpit :

*Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis  
Stragibus aequavit Stilicho, vos Thracia testor  
Flumina, quae largo mutastis sanguine fluctus ;  
Dicite Bisaltae, vel qui Pangaea iuvenis  
Scinditis offenso quantae sub vomere putres  
Dissiliant glaebris galeae, vel qualia rastris  
Ossa peremptorum resonent inmania regum.*

*De cons. Stil.*

*l. vers.  
130-137.*

XV. In altero bellum Gildonicum celebrare instituerat. Gildo, Mauritanorum regulus armis potens, post Theodosii mortem, dum occidentalem imperii partem Honorius dominatur, a Romanis cum defecisset, tyrannidem usurpaverat. In eum ergo Romani Stilichonem cum exercitibus mittere decreverant et iam arma collegerant. Quibus paratis, senatui extemplo renunciatum est Gildonem a fratre in Mauritania cum exercitibus esse profligatum eumque post aliquot dies iugulatum. Hinc nulla amplius causa fuit cur Stilicho in Africam proficisceretur. Hanc ob causam poema de hoc bello inchoatum est neque expletum. Propter haec beneficia in rem Romanam poeta peregrinus, Romanorum hospes, Stilichonem heroem praecipuum non in epicis carminibus modo concelebrandum assumpsit, sed in omnibus carminibus ; eius laudes saepe in consulum panegyricis inveniuntur, carmina maledica ea mente conscripsit, ut Stilichonis adversarios carperet et perstringeret. Eandem ob causam, ut gratum quid Stilichoni faceret « *Laudem Serenae* » uxoris ipsius poetice celebravit. Haec autem nobilissima regia femina, fuit Theodosii Magni imperatoris neptis, postea etiam filia adoptiva. At cum Stilicho merita in Romanam rem imperii cupiditate corrupisset, Honorius eum interficiendum curavit.

*Laus Serenae*

XVI. Fictas etiam veterum fabulas celebravit duobus poematis, quorum unum « *Gigantomachia* » alterum, quod



integrum incorruptumque exstat « *De raptu Proserpinae* » inscribitur. Tritam et obsoletam fabulam, quam multi poetae veteres versibus narraverant, novis rebus atque deverticulis novavit et ampliorem fecit. Poematium hoc in carminibus Claudiani praecipuis habetur, non mythicis fabulis, sed rebus et vicibus hominum contextum. Ceres, cuius filia rapitur, minus dea est quam mater; ita Proserpina non deae filia, sed animi motibus mulieris verae afficitur et, quae deorum sunt propria, ignorat; mortalibus simillimae talem vitam agunt, quam in terris homines, gaudiis iisdem letantur eodemque dolore macerantur. Hoc, praeter laudes, quae ceteris in operibus sunt, poeticum spiritum, amoenitatem, fecunditatem, concinnitatem, dulce et canorum quid carmini addit, quod in poetarum Romanorum epicorum ultimo valde delectat.

## DE LYRICIS POETIS

XVII. In genere autem lyrico poeta Latinus ultimus, et huius aetatis, da qua loquimur, unus *Dec. Magnus Ausonius* fuit. Nullum enim vel ante vel post eum, praeter Christianos, poetam alium invenio, nomine aut memoria aliqua dignum. Aetate paulo superior Claudiano fuit; nam trecentesimo decimo p. Chr. n. anno Burdigalae, in urbe Aquitaniae natus est. In patria Aemiliae Corinthiae Maurae aviae industria nec non duarum materterarum cura diligentissime educatus est, postea Aemilii Magni Arborii avunculi scholae traditus publice Tolosae et Narbone rhetoricam docenti, qui de indole pueri mira praedicare solitus erat. In clarissimi grammatici schola eruditus et ipse grammaticus et rhetor sui temporis doctissimus evasit. Triginta annos natus in ludis urbis patriae primum pueros grammaticam docuit, deinde in acroasi artem rhetoricam. Quo munere dum multis iam annis diligentia summa perfungitur, a Valentiniano accitus est Gratianum et

Valentinianum eius liberos instituturus. Discipulos in castris versantes secutus est, ne per intervalla militiae litterarum studia intermitterent. Discipulorum beneficio a minoribus ad summos honorum gradus ascendit; quod cum inscripti lapides testentur, etiam ipse his versibus prodidit:

*Aus. Praef.  
od Syagr.*

*Cuius ego comes et quaestor et culmen honorum  
Praefectus Gallis et Libyae et Latio.  
Et prior indeptus fasces, Latiumque curulem,  
Consul, collega posteriore, fui.*

Cum aliquot post annos Gratianus, qui imperium fortiter defenderat, esset interfectus, annis non minus quam dolore gravatus in patriam urbem, tamquam *in senectae nidum*, se recepit paternis in praediis extremam aetatem acturus.

*Idyllia*

XVIII. Christianus Ausonius ex quibusdam suis versibus et ex scripturis Paulini Nolani, qui eum puer audivit, haud dubie fuisse videtur, sed ita petulantior ita et lascivior nonnullis in carminibus est, eoque ingenio et animo iis se praeditum praebet moribus, ut paganum potius, quam Christianum poetam eum appellemus. Carmina eius nimio maiorum tempora sapiunt, fabulas, gaudia, amores, delicias veterum poetarum repetunt et recantant. Eius duodeviginti opera exstant versibus structura et numero variis omnia conscripta, praeter panegyricum in Gratianum, quem soluta oratione confecit. Minora praetermitto, quae rebus, orationis genere, eruditione, purum deprehendunt grammaticum. Ex maioribus decem longiuscula et suavissima, quae « *Idyllia* » appellavit, valde probantur. E rerum contemplatione variarum idyllia nascuntur; res, quae in natura sunt, montes, flumina, arbores, rura, silvae, remissa voce cum eo in animo loquuntur, ipse cum illis; naturam ipse ad se clamantem cum sentiat, in carminibus repetit, quae sentit; naturam agrestem quasi deam colit eandemque veneratur. En versus in quibus Mosellam patrios per agros tacito errantem cursu



delicatis coloribus depingit et grato colonorum animo ex corde quasi sospes deorum in templo salutat :

*Salve amnis laudate agris, laudate colonis,  
Dignata imperio debent cui moenia Belgae :  
Amnis odorifero iuga vitea consite baccho  
Consite gramineas amnis viridissime ripas !*

*Aus. Idyl.  
XVII, vers.  
18-26.*

XIX. In maioribus « *Parentalia* » et « *Epistulae* » sunt; domestici Ausonii sensus, ut in venis serpunt, e carminibus his ita spirant, neque eruditione neque artificio vitiantur; pietas in parentes, qualem in pectore alit, talis in versibus exundat. Nolens vel ignarus, quo amicis in colendis vel in diebus festis celebrandis, struendis conviviiis afficitur gaudio idem candide aperteque effundit in carmina. Si in rerum omnium extremum in mortem animum intendit, non eam, ut Christi asseclae, animi e corporis vinculis liberationem expetendam putat, sed, quae hominum natura est, illam horret et timet eiusque pavor quanto gravior est, tanto in versuum numeris vehementius strepit et resonat. Nihil his in carminibus nisi sincerum invenies, nihil fictum, nihil fucatum; cetera carmina contra satius necessario eruditum hominem sapiunt; in his, quae « *Ordo nobilium urbium* » quae « *Ephemeris* » quae « *Ludus septem sapientium* » inscribuntur. Equidem, cum una urbium pulcherrimarum vel rerum, quae singulos in dies sunt agenda, vel virorum sapientium numeratione versentur, non carmina, sed tabulas dixerim ad homines edocendos conflatas. Nihilominus inest in eo poetarum veterum elegantia et orationis concinnitas et color quasi novus, quem apprehendit in verbis; hac causa ad recentiores poetas accedit. Ex veterum lectione copiam verborum et eruditionis desumit; his laudibus, licet identidem a dictione vere Latina mendis expurgata discedat atque saeculum contra prodat, in quod incidit, nihilominus multos aetatis etiam superioris poetas superavit.

*Ludus septem  
sapientium*

XX. Pulcherrimum hoc loco recensendum est carmen quod, prae manibus omnium est « *Pervigilium Veneris* » inscriptum in membranis aliquot ante annos repertum :

*Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet !*

*Ver novum: ver iam canorum: vere natus Iuppiter.*

*Pervigilium  
Veneris*

*Vere concordant amores, vere nubunt alites*

*Et nemus comam resolvit de maritis imbribus ;*

*Cras amorum copulatrix inter umbras arborum*

*Implicat casas virentis de flagello myrteo,*

*Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.*

*Cras amet qui nunquam amavit quique amavit cras amet !*

In auctore reperiendo nequiquam critici desudaverunt, ex quibus alii Catullo attribuerunt, alii Catullo Urbicario, alii vero aliis. Carmen ad centum fere versibus septenariis ex trochaeis continetur, in iis versus intercalaris, qui dicitur, quarto quoque loco vel quinto vel amplius ita repetitur, ut dispositiones quasdam ex versibus numero imparibus inter se conglobatis efformet, quarum singulae singulas sententias exprimant. Veneris et veris laudes celebrantur, eodem modo quo in nocturnis sacris totam per noctem a vigilantibus ad tibiam canebantur. Suave carmen est, molle et delicatum, leve et numeris fluens, iis nativis verborum luminibus illustratum, ut meliorem aetatem olere nonnullis videatur.

*Poetae Christi-  
stiani, qui  
hymnographi  
dicuntur*

XXI. In lyricorum poetarum tabulis sunt Christiani hymnographi inscribendi, qui aut divina novae religionis mysteria poeticis ornatibus distincta aut heroum martyrum laudes eorum cecinerunt, qui mortem pro veritate caelesti testanda honestissimam oppetiverunt. *Damasus*, cuius septem triginta carmina exstant, Pontifex Romanus Maximus, primo loco memorandus est. Hic primus, ut videtur, illo genere versiculorum delectatus est, qui verbis similiter consonantibus bini parte in extrema concluduntur. *Meropius Pontius*



*Anicius Paulinus* est in hymnographis etiam recensendus. Ex nobilissima Aniciorum familia oriundus, Eburomagi, ad annum p. Chr. n. trecentessimum quinquagesimum tertium natus est; Ausonii discipulus et amicus fuit, consul suffectus, consularis; cum novam Christianorum sectam sequi coepisset Nolae episcopus factus est, unde *Nolanus* appellatur. Carmina quadraginta et epistulas amplius triginta reliquit; illa et re et versuum genere valde inter se discrepant; ad veterum poetarum imitationem nunc hexametros et versus longiunculos, nunc melicos, nunc nonnullos alios adhibuit. Hymni in primis probantur, quibus lyrice divi Felicis martyris Nolani «*Natalicia*» celebravit. Placet etiam si quando suos sensus effundit, ut de bene sapienterque vivendo praecepta tradat; quem sincero animo virtutis magistrum Christum sequitur, illum chartulae sua sapiunt, illum omnes spirant sententiae, pietatem in Christum redolet ipse. Nonnullis in epistulis ob miram ac prope divinam doloris perferendi patientiam, quae spirat e verbis, illa pulcherrima in primis videtur, quam ad clarum senatorii ordinis virum, Pammachium, familiariter sed copiose scripsit, ut eum uxoris morte acerbè maerentem consolaretur. In hymnographis divus *Ambrosius*, episcopus Mediolanensis, vir cum doctissimus tum sanctitate morum clarissimus, cuius doctrinis atque sententiis refertissimorum exstat voluminum turba. Huic inscribuntur hymni duodecim, qui nitidi sunt et grata sermonis Latini sanitate distincti, divino pleni spiritu et aevi expectatione melioris expleti, ut eorum, qui legunt, animos a curis et doloribus, a terrenis anxietatibus exuant atque ad infinita astrorum spatia, ubi rerum Conditor imperat, ad vitam invitent beatissimam in sempiternis saeculis agendam. Pulcherrimus mihi hymnus videtur, quem a Christianorum catervis atque concentibus matutinis horis conscripsit quotidie concinendum.

*Div. Ambr.  
Hymn. I.*

XXII. Christianorum poetarum principem atque praecipuum ad novam artis rationem suscipiendam auctorem iure

quidem optimo *Aurelium Prudentium Clementem* dixerim, quo aut convenientius aut concinnius nemo novis veterem rebus humanitatem accommodavit. Calagurri, ut videtur, in Hispania, trecentesimo duodequadragesimo anno p. Chr. n. natus est, litterisque omnibus ac disciplinis a pueris eruditus. Piget illum alicubi in carminibus aetatem primam vitiis foedasse et in toga causas iniquas egisse; mox tamen initiatus Christo atque addictus, subselliis relictis, in poemata vario carminum genere fundenda se contulit. Hymnorum eius libri duo exstant, in quorum altero « Περὶ στεφανῶν » hoc est « *De coronis* » inscripto, Christianos vel atrocissima causa Christi morte multatos vel morum sanctitate atque innocentia in divos relatos, ac si in certaminibus gymniciis accepissent palmam, Apollinea laurea ex veterum poetarum consuetudine decoravit. In secundo libro laudationes Dei optimi maximi continentur singulos in dies singulasque in diei partes recitandae, unde liber « Καθημερινῶν » inscribitur. Ad genus didascalicum hoc, quod novo nomine ἀπολογητικόν dixerim — in doctrinis Christianae religionis ab ethnicorum incursionibus defendendis versatur — tum « *Apotheosis* » tum « *Hamartigenia* » tum « *Contra Symmachum* » libri pertinent, quos ita inscripsit. Quinto p. Chr. n. saeculo ineunte, in religionem novam, quam barbaram, invectam, nec ad intelligibilitatem excusam affirmabant, qui declinantibus patriis diis veteribus consulere voluerunt, pro viribus concursum quasi militare in Christianorum communitatem iteraverunt; e deversoriis undique contra incursum. Acerrimis sapientium disputationibus et pugnis non oratores tantum et philosophi, sed poetae etiam interfuerunt, qui suis armis, carminibus et versibus, usi sunt; Prudentius in primis. Deum unum esse atque trinum contra Marcionenses hereticos; Deum Patrem crucis martyrium cum Filio non esse passum docuit, neque alterum bonorum principium alterum caput esse malorum contra Manichaeos comprobavit. Contra Symmachum, qui in

Περὶ  
στεφανῶν

Καθημερινῶν

*Apotheosis*

*Hamarti-*  
*genia*

*Contra Sym-*  
*machum*



senatu deorum religionem antiquorum restituendam cum ara pacis separandamque esse contendebat, innumerabiles deos illos falsos, absurdos denunciavit, qui vitiis atque exemplis homines labefactarent. Est de hac re « *Psycomachia* » quo in carmine per sermonem alternum incorruptos Christianorum mores cum vitiis ethnicorum sub hominum forma inducit disputantes. Uberi, copiosa, varia carminum fundendorum facultate Prudentius usus est; cui castigatior unus sermo et rigidior defuit — nam saepe violavit — numerorum atque mensurarum lex; cum ceteris Christianis poetis nihil fere commune habuit; non enim e piis animi sensibus carmina sua nascuntur, neque remissione distinguuntur; inexplebili aestuat ardore, ardore suo hominum animos urit et inflamat. Ad poetas aetatum praeteritarum accedit; ab his versuum mensuras, modos, numeros depromit, verba et verborum ambitus et translationes mutuatur; intimis in venis Christianum se verum sincerumque exhibet, in externis fere paganism; nimirum in se ea componit, quae longo saeculorum lapsu per vim quandam pulchris in rebus insitam attrahentem atque allicientem sponte sua confluerunt in unum.

*Psycomachia*

#### DE CARMINIBUS AD DOCENDUM ARTIS

XXIII. Ceteris litteris magis magisque decidentibus, in flore genus carminum fuit, quod rem ab eruditione haurit. Igitur, praetermissis Christianis, *Terentianus Maurus* primo recensendus occurrit, qui de re poetica tripertitum parvum poema scripsit « *De litteris syllabis metris* » inscriptum. Rem aridam atque a poetica ratione remotissimam ita perbelle et iucunde tractavit, ut grammaticorum *Suavissimus* appellatus sit. In re pariter et exili et ieiuna versatus est *Q. Serenus Sammonicus*, qui de morborum remediis et curationibus heroico carmine non ineleganter poematum confecit. Aucto-

*De litteris,  
syllabis,  
metris*

rem Plinium praesertim ex Romanis secutus est, ex peregrinis autem Dioscoridem, Ciliciae medicum clarissimum, qui, ut temporibus illis, herbarum usum scite docteque docuerat in libris, qui exstant. Serenus floruit Caracallae temporibus, cuius opera inter cenandum interfectus est. Aetate autem Cari atque Numeriani Augustorum fuit *M. Aurelius Olympius Nemesianus*, qui ex poetis Carthagine natis non immerito praecipuus habetur. Praeter eclogas quattuor, quae sub nomine Calpurnii generatim scriptae inveniuntur, ideoque ei a nonnullis abiudicantur, haud dubium est, Vopisco auctore, quin tria parva poemata composuerit, quae « *Cynegetica* » et « *Haliutica* » et « *Nautica* » inscribebantur. Istorum primum nitidis quidem versibus et pro temporum ratione eximie et sermone Latino satis puro exaratum superest tantum. Eadem ad tempora pulchra quaedam sententiarum de moribus corona spectat, ex qua nonnullas mihi placet in exemplum afferre:

*Virtutem primam esse puto, compescere linguam.*

*Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.*

*Insipiens esto, cum tempus postulat ipsum.*

*Stultitiam simulare ioco, cum tempore laus est.*

Stoico philosopho corona videtur esse tribuenda, *Dionysio* nomine, qua ex re « *Dionysii Catonis disticha de moribus* » inscribitur. Verisimile est, quae in censoris libro praecepta continebantur, ea suo in opere auctorem retractasse. In scholarum usum cum venisset, non semel aut iterum, ut ad compositionem, quae exstat, deduceretur, ab epitomatoribus recentioribus novata et immutata esse videtur.

XXIV. In saeculum posterum *Rufus Festus Avienus* incidit, quem paulo supra in epicis poetis recensuimus; qui praeter breuiuscula carmina ad lyricum genus spectantia, Graecos auctores vel ad verbum transferens, vel imitatione exprimens, aut suam ipse rem inveniens, poemata tria composuit; primum, « *Phaenomena et prognostica* » in quo

*Spart. Car. 4.*

*Vop. Nem.  
vit. ad init.*

*Cynegetica  
Haliutica  
Nautica*

*Catonis  
disticha de  
moribus*

*Phaenomena  
et prognostica*



carmen Arati egregie imitatus est, ut orationis concinnitate, versuum structura Ciceronem et Germanicum superaverit; secundum « *Descriptionem orbis terrae* » continet; e Dionysii Alexandrini carmine rem deprompsit, quod « *Περὶ ἡγῆσις* » inscribitur. Tertii poematis pars tantum exstat, in qua litoris descriptio a Gaditano freto ad Massiliam patentis continetur. Alio in carmine, quod « *Ora maritima* » inscribatur Maris interni, Ponti Euxini, Caspii litora omnia descriptione prosequatur. In hoc poemate carmine trimetro iambico, quae viderat, maximam partem rettulit. Volsiniis enim natus, in Africam, in Graeciam proconsul missus, maritima itinera hinc inde peregit, ex quibus notitias quam plurimas hausit. Rem natura sua siccam notitiarum varietate et peculiari sermonis elegantia distinxit ne legentes similitudinis fastidio satiarentur; hac de causa in bonis poetis Avienus habetur.

*Descriptio  
orbis terrae*

*Ora ma-  
ritima*

XXV. Cum hoc vel paulo aetate inferior *Flavius Avianus* floruisse videtur, qui elegiacos versus, adminiculum fabularum a *Phaedro* mutuatus, ad praecipua tradenda adhibuit. Eius nunc sunt quadraginta duae fabulae, quae saeculis mediis, quae dicuntur, assidue in scholis legebantur; hodie tamen nec alliciunt nec placent, quamquam satis purus earum sermo est et versus non ineleganter excusi. Post hunc, aetate quam inspicimus fere exeunte, duo haud ignobiles poetae *Martianus Mineus Felix Capella* atque *Rutilius Namatianus* exstiterunt. Prior in numero Africanorum poetarum inscribendus, licet de eius urbe patria satis inter doctos ambigatur, cum eum alii Madaurem, alii Carthaginiensem credant. Hoc certo constat eum in *dulci Elissae urbe* Carthagine cum eloquentiae tum novis platoniorum scholis et poetarum studiis vacasse proconsularem ibique dignitatem gessisse. Suum et singulare opus composuit « *De nuptiis Philologiae et Mercurii* » novem constans libris, in quibus soluta oratio variis metro cum carminibus admiscetur, ut a quibusdam « *Satyricon* » appelletur. *Philologia*, pulchra virginis forma

*Fabulae*

*De nuptiis  
Philologiae  
et Mercurii*

induta, Mercurio nubit; nuptiis Musae adsunt, omina fausta concinentes; adstant nuptialia dona, videlicet septem artes; grammaticam repraesentant, dialecticam, rhetoricam, geometricam, arithmeticam, astronomicam, musicam per fictam personarum inductionem sub virgineis formis ornamentisque celata. Convivium illum doctrinis atque artibus epulis quasi conquisitis exstructum patet apparuisse, quod postea *trivium et quadrivium* mutata verborum imagine est appellatum. Sunt in opere haud ignobilis ingenii et doctrinae vestigia, quae hominem Catonis studiosissimum deprehendunt; ars tamen desideratur, quae rem aridam poetarum luminibus distinguat et illustret. Sermo asperior est et multa barbarie aspersus.

XXVI. *Rutilius Namatianus*, qui originem a Gallis duxit, maxima Romae apud Honorium Augustum auctoritate floruit; anno enim quadragesimo quarto decimo p. Chr. n. praefectus urbi creatus est, deinceps et officiorum magister. Post duo annos, Gothic Galliae agros vastantibus, in patriam revertit extremam in litterarum otio aetatem acturus. Urbem ut deam quandam moestissimis proficiscens salutatur verbis:

*Oramus veniam lacrimis et laude litamus.*

*In quantum fletus currere verba sinit:*

*Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,*

*Inter sidereos Roma recepta polos,*

*Exaudi, nutrix hominum genitrixque deorum;*

*Non procul a caelo per tua templa sumus:*

*Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:*

*Hospes nemo potest immemor esse tui.*

*Nam. I. de  
Red. 45 52.*

In quo otio atque silentio, cum secum tantum uno, vetera repetens, constanter versaretur, fiebat ut rerum memoria praeteritarum, quas in Urbe viderat, suavissime atque per se in animo loqueretur, eumque desiderio et acuto doloris sensu affectum, qui Romanum hominem deceret, ad fletum cum singultu moveret. Viderat enim, cum in



patriam reverteretur, urbem Romam, quae tot annis fuerat totius terrarum orbis lumen atque *regina*, subito quodam incendio concidentem; veteres deos patrios e terris ad astra aufugientes; vastatos a barbaris gentibus imperii fines viderat, sine munimentis, sine exercitibus, quibus armorum arceri vis posset, nobilissimas viderat Italiae urbes ruinis obrutas, vepribus et dumetis conseptas. Ex hac mentis contemplatione movetur et vehementer concitatur et rerum praesentiarum velut inscius, eodem spiritu et verborum colore, quo poetae Augustei usi erant, ad coelum Urbis magnificentiam extollit :

*Fecisti patriam diversis gentibus unam :  
Profuit invitis te dominante capi.  
Dumque offers victis proprii consortia iuris  
Urbem fecisti quod prius orbis erat.*

*Nam. I. de  
Red 51-54*

Hoc unum in carmine « *De reditu suo* » condendo petivit, ut a praesentium conspectu malorum se tantisper averteret, et solacium in aevi prioris memoria quoddam inveniret.

#### DE RERUM SCRIPTORIBUS

XXVII. Cum Tacito sive aetate sive narrationis genere ipso *Suetonius Tranquillus* aliquomodo coniungitur, quippe qui, illo vivo, eadem fere ratione imperatorum historias scribere coeperit. Inter duas aetates cum eius vita incidisset, utriusque in se conciliavit notas atque coniunxit. Ut enim ex superiore aetate pressum dicendi genus a Tacito atque veritatis studium desumpsit, ita cum scriptoribus, qui cum eo fuere, communem diligentiam habuit, qua adhibita, ex monumentis sollerter inspectis, notitias eruit, quibus ad certam rerum gestarum memoriam tradendam uteretur. Nerone imperante natus, in litterarum et iuris disciplinis delituit *Suetonius*, quoad, *Traiano* moderate dominante,

causarum simul actor et rhetor et rerum scriptor insignis exstitit. Doctrina atque morum probitate Plinio iuniori placuit, qui eum Caesennio et Nervae Traiano; insinuavit, hic eum iure trium liberorum donatum magistrum ad se epistularum ascivit. Post aliquot annos curia dimissus est, quod aliquid in Sabinam imperatoris uxorem fecisset, et cum studia recepisset intermissa, volumina eruditione plena edidit innumerabilia. In antiquitatis scientiis versatus est, ut alius Varro haberi possit. Dolendum, quod librorum pars maxima interciderit; exstant duodecim priorum imperatorum eleganti et erudito dicendi genere exaratae a Caesare ad Domitianum vitae, quae uno nomine « *De vita Caesarum* » inscribuntur; at perenni narrationis similitudine ad quasi satietatem gravantur: una est in imperatoris cuiusque vitae rerum distributio, unus ordo; a parentibus orditur; domesticam eorum exponit indolem, institutionem, mores, studia; neque ad res singulares devertit, quas in imperio administrando memoria dignas fecerint; sed ad mortem et honores post obitum acceptos prosequitur; nihil detrahit, nihil addit, res, quae reapse fuerunt, enumerat. Ex qua instituta scribendi ratione argumentum in natura positum invenimus, quod vera ea esse probat, quae incredibilia propter immanitatem nonnullis a Tacito excogitata videntur. In altero opere, quod « *Di viris illustribus* » inscribatur, ex diversa condicione virorum sex partibus distinctis, de poetis, de oratoribus, de historicis, de philosophis, de grammaticis, de rhetoribus agebatur, qui inde ab exordiis litterarum ad aetatem suam nominis laude floruerunt. Prooemium, in quo de genere libro pertractando in uno quoque disceptat, cuique parti praemittit. Huius operis viginti grammaticorum vitae, poetarum quinque, totidem rhetorum, oratorum una exstant, ex aliis fragmenta tantum vel excerpta ad litterarum Latinarum historiam penitus cognoscendam utilissima.

XXVIII. Cum hoc vel aetate coniuncti, vel suppres

*De vita  
Caesarum*

*De viris  
illustribus*



epitomatores, qui dicuntur, nonnulli fuerunt, qui id, quod fuse in aliorum historiis narrabatur, paucis complexi verbis sunt et brevius summa rerum capita persequentes fecerunt, quo facilius in scholis pueri edocendi memoriae mandarent. In his *Annaeus Florus* recensendus est, origine Africanus vel Hispanus, qui breviarium rerum Romanarum ab Urbe condita ad aetatem Augusti composuit. Probatur ornata verborum concinnitas et ipsa in brevitate floridae elegantiae studium, quae colorem poetarum narrationi addunt, oratori quam rerum scriptori, magis consentaneum. Cum in notitiis decerpendis Livium auctorem secutus sit, opus hoc parvum « *Epitome de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo* » inscribi solet. Attamen a Livio non infrequenter discedit, interdum dissentit; verum in notandis temporum ordinibus multos in errores delabatur. *Florum* etiam poetam fuisse, cum iam antea ex litterarum monumentis satis certo constaret, fragmentum quoddam eius, non ita multis annis ante nos repertum, comprobavit. Ex *Livii* similiter historiis *Granius Flaccus Licinianus* epitomen confecit « *Annales* » inscriptam, cuius in lucem fragmenta centum abhinc annos venerunt. Ex *Livio Granius*, maioribus praetermissis, miras res et prodigia incredibilia decerpsit, quae novitate mentes hominum percellere possent. Hac etiam aetate *Iustinus Iunianus* floruit, qui *Pompei Trogi* « *Philippicas Historias* » deperditas, in epitomen redegit. Duplici ratione in epitome conficienda usus est; nam nunc iisdem fere verbis rettulit excerpta ac si ex his « *ἀνθολογίαν* » conflaret; nunc breviter perstrinxit. Maximi momenti apud eruditos homines epitome *Iustini* est, quae in tanta reliquorum scriptorum iactura una totius orbis historiam exhibet. Posterior *Ampelius* fuit, cuius « *Liber memorialis* » exstat collectaneus ex rebus conflatus memorabilibus, quae in toto terrarum orbe ad cognoscendi voluptatem iucunda evenerunt. Ineunte autem tertio p. Chr. n. saeculo *Marius Maximus* floruit, qui *Suetonium* secutus

*Epitome  
bellorum om-  
nium*

*Char. l. p. 38,  
99 et 113.*

*Annales*

*Liber  
memorialis*

inperatorum vitas ab Hadriano ad Heliogabalum narravit. Eius opus intercidit; at maxima ex parte in celebratissima superest « *Historia Augusta* » quae ab illo tamquam ex fonte unico integra fere provenit.

XXIX. Auctores varii sex hanc historiam temporibus diversis confecerunt, *Aelius Spartianus*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, qui tertio saeculo exeunte fuerunt; *Iulius Capitolinus*, *Aelius Lampridius*, *Flavius Vopiscus*, cuius aetas in saeculum incidit, quod est subsecutum. Etsi historia haec incredibili obscuritate offuscetur et nimia barbarie laboret, cum huius memoriae monumentum sit litteris mandatum unum, magni ab eruditis hominibus et antiquitatis studiosis habetur. Caesarum quoque vitas ab Augusto ad Theodosium *Aurelius Victor* parvo libello prosecutus est, qui « *Caesares* » inscribitur. Nitida libelli oratio est et, ut temporibus illis, haud parum elegans. Huic Victori libri duo alii a nonnullis criticis attribuuntur, alter « *De viris illustribus* » alter « *Origo populi Romani* » inscriptus, quorum uterque tot sermonis vitiis corruptus est, ut ex comparatione cum libello *De Caesaribus* deteriolem ob sermonem sequiori aetati addicendus videatur.

XXX. Optimi in suo genere sunt decem libri, in quos Valente Augusto invitante *Eutropius* « *Breviarium historiae Romanae* » redegit. Aetates omnes ab Urbe condita ad annum p. Chr. n. trecentessimum sexagesimum quartum prosecutus ita est, ut brevitati et perspicuitati consulere. Ex veteribus rerum scriptoribus res eas decerpsit, quae memoratu dignae erant, easque ad veritatem conformatas rettulit. Eutropii tenuis sane libellus est, sed perspicuus, planus, apertus, unde magni mediis saeculis habitus est et in scholis perlectus. Suetonii aequales fere *Rufius Festus* et *Iulius Obsequens* fuerunt, quorum alter ab Urbe condita ad Iovianum in libro, qui « *Breviarium rerum gestarum populi Romani* » inscribitur memoriam omnem enucleavit; « *Prodigiorum libellum* »



alter composuit, in quo prodigia et portenta ex narrationibus Livii decerpta rettulit.

XXXI. Hic rerum scriptores recensendi sunt alii, Christi asseclae, in primisque *Sophronius Eusebius Hieronymus*, qui saeculo quarto p. Chr. n. floruit. Huius, praeter voluminum turbam, quae eximiam eius *Scripturarum* notitiam testantur «*Chronicon Eusebii*» exstat, quod e Graeca lingua in Latinam conversum continuavit, et liber «*De viris illustribus*» inscriptus, in quo Christianorum scriptorum vitas narravit. Eius amicus deinde adversarius *Turranius Rufinus* fuit, qui «*Historiam monachorum*» composuit et Latine «*Ecclesiae historiam*» ex Eusebio vertit. Cum his quoque fuerunt *Q. Iulius Hilarianus*, qui «*Chronicon*» rerum memorandarum et libellos confecit, quorum alter «*De mundi duratione*» alter «*De ratione Paschae*» inscribitur; *Paulus Orosius*, qui Augustini hortatu historiarum libros septem non inculto exaravit sermone, in quibus *miserias hominum, paucas dumtaxat, easdemque breviter delibatas* ab ipsis incunabulis mundi ad sua tempora complexus est. In Christianis rerum scriptoribus, qui hac aetate fuerunt, *Sulpicius Severus* primum locum occupat, qui adeo eleganti, terso pressoque sermone scripsit, ut *Sallustius Christianus* appellatus sit. Eius praeter epistolas «*Vita B. Martini Turonensis Episcopi*» et «*Historiae sacrae libri duo*» exstant mirabilium rerum atque portentorum referti et divinam redolentes pietatem.

XXXII. Paulo aetate anterior *Ammianus Marcellinus* exstitit, quem in hunc locum remisimus, ut eius nomine rerum scriptorum tabulas conficiamus. Graecus Antiochenus, militia cum Romanorum exercitibus in Asia, in Gallia, in Germania perfunctus, Romam quinquagesimum annum agens venit ibique in historiis conscribendis est versatus. Opus integrum «*Rerum gestarum*» libris XXXI constabat, quorum priores tredecim interciderunt; reliqui exstant. Memoriam omnem a Nerva ad Valentis obitum litteris mandavit, ut

*Chronicon  
Eusebii*

*De viris  
illustribus*

*Historia  
monachorum*

*De mundi  
duratione et  
de ratione  
Paschae*

*Vita  
B. Martini  
et Historiae  
sacrae*

res alias pressius, quae trecentos annos evenerant, fusius, quas ipse viderat, exponeret et explicaret. Hinc partium inaequalitas; in libris qui supersunt memoria tantum viginti quinque annorum continetur. Cum vero auctorem sibi imitandum Tacitum proposuisset, non externa tantum bella prosecutus est, sed civiles res et eventus urbanos notavit et principum virorum studia, mores ingenia descripsit. Ethnicus cum esset, aequum de Christianorum cultu ac religione tulit iudicium *simplicem et absolutam* religionem hanc arbitratus, minimeque cum barbarorum superstitionibus populorum componendam. In notitiis vero referendis tanto veritatis studio atque aequi flagravit, ut dignus omnino sit, qui ex hac parte cum Tacito conferatur. Hanc ob causam, ut Iuliano Augusto, qui *Apostata* appellatus est, Christianos saevissime insectanti minime indulisit, episcopum quendam Alexandriae aperte exprobavit, propterea quod, divini muneris et officii nihil natura sua nisi iustum atque lenē suadentis penitus oblitus, delatoris provinciam sibi propriam assumpsisset. Item severus et gravis morum existimator in corruptos eius aetatis homines vehementissime invectus est, iisque passim inter narrandum, tamquam virtutis exempla pro viribus imitanda, Catonem, Regulum, Fabricium, alios vitae moribus viros et sanctitate insignes opposuit. Eius itaque vox postrema fuit, quae populi Romani maiestate non indigna audita est, quasi praeconis cuiusdam in extrema nominis Romani pernicie ex morum corruptione profluente ad arma conclamantis.

## RHETORES

XXXIII. Ultima litterarum Latinarum aetate ineunte, Romana eloquentia defloruit et evanuit penitus exausta. Nam etsi nihil superioris aetatis rhetores Quintilianus et Tacitus inexpertum aut intentatum reliquissent, ut ad pristinam



artem atque rationem eam revocarent, in nullo memoriae huius homine umbra oratoriae facultatis invenitur. Causis corruptionis, quas supra memoravimus, duae accesserunt, nimium videlicet eruditionis studium, quo litterati homines capti sunt, atque novus quidam sermonis sensus, qui ingenia occupavit. Plurimum ad corruptionem augendam altera causa valuit; nam, dum rhetores turgescens eloquentiae vitium simplici quodam et quasi nativo dicendi genere reparare contendunt, in contrariam obsoleti sermonis omni colore carentis mendam reciderunt. Nihil igitur illis purum in dicendo esse vel Latinum sapere visum est, nisi quod aut ab Ennio, aut a Plauto, aut ab eorum aequalibus, hoc est ab ipsis Latinae linguae incunabulis, esset petitum. Hinc factum est ut, cum unis inusitatorum verborum coloribus delectarentur, sub iis vanas tegerent et ineptissimas sententias. Prae ceteris in hac dicendi ratione *M. Cornelius Fronto* vixit, cuius ex umbraculis turba quaedam hominum in ore sermonis veteris ostendentium puritatem processit. Fuit Fronto hic Cirtensis patria, sed quamquam in Africa natus, stirpe Italicus. Latinis litteris eruditus, Dionysium Tenuiorem atque Athenodotum magistros audivit. Hadriano imperante Romam cum venisset, primum in eloquentia locum obtinuit, adeo ut Marcum Antoninum et Lucium Verum, Hadriano iubente, instituendos susceperit. Summis hanc ob causam honoribus a Caesaribus affectus est et consulari dignitate et statua insignitus; ad annum centesimum septuagesimum quintum p. Chr. n. obiit. Veteres rerum scriptores nobilem oratorem et gravem eum dixerunt atque eloquentiae *non secundum sed alterum decus*, Ciceroni eloquendi laude parem vel etiam maiorem arbitantes, at apud nos silentio iacet. Non gravibus sententiis, quae flos et robor sunt orationis, sed obsoletis verborum ornatibus atque fucatis pigmentis eius scripta illustrantur: in deliciis Catonem, Ennium habet contemnitque Livium, Virgilium, Ciceronem, ex cuius oratio-

*Front. Epist.  
ad M. Caes.  
1. 12 et 4. 12.  
et ad Verv. de  
Eclog. p. 171.*

*Eutr. 8. 6;  
Sid. I. Epist. I.*

nibus *paucissima insperata atque inopinata verba* promi posse existimat. Immo et a Seneca abhorret, in quo eandem rem variis inculcatam verbis deprehendit, ut fastidio sit, atque verba nova *modulate collocata et effeminate fluentia* aspernatur; ipse *vetustulum colorem* in verbis insectandum putat in verborumque vero conclusionibus sonum, qui ex nimia arte vel fabricatione promanat. Ex orationibus, quas in foro dixit, nihil omnino est, e panegyricis vero fragmenta; exstant contra sermocinationes de rebus ineptioribus atque nugis, quales « *Laudationes fumi et pulveris* » « *Neglegentiae elogium* » quae in exemplum huius eloquentiae generis vel potius in proverbium abierunt. Ex his igitur unis quid iam de auctoris ingenio existimari possit, licet colligere; quod iudicium « *Epistularum libri* » quoque confirmant, qui sunt. Quos cum pervolutarem verba ad Antoninum imperatorem rescripta legi, quae huius aetatis oratoris cuiusque exhibent imaginem: « *Ne ego post homines natos et locutos omnium facundissimus habear, cum tu, M. Aureli, mea scripta lectitas et probas, et lucrativa tua in tantis negotiis tempora meis quoque orationibus legendis occupare non inutile tibi arbitraris nec infructuosum* ».

XXXIV. In causidicis, in rhetoribus, in philosophis Platonicis numerandus est *L. Appuleius*, Madaurensis, vir singulari praeditus ingenio, qui morum vitiis incredibili mentis celeritate pensavit. Nobili loco natus anno centesimo tricesimo p. Chr. n. Carthaginem a patre missus est; cum eruditus litteris esset, philosophiae et eloquentiae studiis vacavit. Athenas inde se contulit, ut, quae in patria urbe inchoaverat studia, ad summam proveheret perfectionem. Athenis relictis, cum dicendi studio flagrans iter suscepisset, venit Romam Latinamque linguam didicit mysteriis Osiridis Serapidisque initiatus. In Africam cum reversus esset apud multas civitates laude eloquentiae percrevit; inter peregrinandum viduam Pudentillam aetate longe maiorem uxorem

*Laudationes  
fumi et  
pulveris  
Neglegentiae  
elogium*

*Epistularum  
libri*

*Front. II.  
Epist. 2.*

*Conf. Apul.  
Apolog.*



duxit, ut sibi ex matrimonio divitias compararet. Pudentillae affines hac de causa eum magiae accusaverunt, a qua insimulatione se defendit oratione, quae « *Apologia* » inscribitur.

XXXV. Plurima opera cum re tum genere diversa confecit, alia Graece, alia Latine, soluta aut numeris adstricta oratione exarata. Ex his ad memoriam pervenit « *Apologia* » quam diserte in urbe Oea coram Claudio Maximo proconsule pronunciavit; tum « *Floridorum libri quattuor* » in quibus excerpta orationum continentur; tum opus maximum, quod « *Metamorphoseon libri XI* » vel « *Asinus aureus* » inscribitur. Ex orationibus, quae sunt, floridioribus verborum coloribus ornatus, nitidus, vivida mentis alacritate praeditus, verum prolixior et tumidior, ut Afri fere omnes, orator apparet; in summa orationum ubertate inest luxuries, ut nimiae in pabulis herbae, stilo depascenda, quae spissior ad fastidium virescit. Nominis immortalitatem posterarum memoriae non orationibus, sed fabula Milesia commendavit, quae habetur in pulcherrimis. Res in amoena Thessaliae regione agitur.

*Apologia*

*Floridorum  
libri*

XXXVI. Puer quidam Corinthius, Lucius nomine, magicas in se artes experiri exoptans in alitem se immutare affectat, ad quod assequendum, cum multis se deleniat unguentis et aromatis, propter errorem, in quem toreumatis in adhibendis incidit, non in avem se, sed in asini formam convertit. Asinus factus, quamquam rationis atque sensuum particeps praelongis auriculis insignite decoratus, hac illac fortuito cum latrociniis, cum magis, cum ceteris huiusmodi comitibus pererrans, nequissima mala omnia, quae asinorum propria sunt, patitur animoque tolerat aequo. Post multas et varias vicissitudines, in quas ignarus incurrit, Isidis mysteriis usus rosis quibusdam vescitur, quarum miraculo inopinanter in pristinam tandem hominis imaginem redit. A lascivis et obscenis fabulis, quibus libellus farcitur, a sceleribus, ab indignis latronum facinoribus quam plurimum differunt, quae « *ἀλληγορικῶς* » per fabulam fictam de voluptatis origine

*Asinus  
aureus*